



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE QUANDOQUIDEM BEATISSIMATEMPLUM BEATAE
MARIAE VIRGINIS A PACE, QUOD EST IN STOCZEK,
IN DIOCESI VARMIENSI, TITULO BASILICAE MINORIS DECORATUR Ad perpetuam rei memoriam. – Quandoquidem
beatissima Virgo Maria est augusta Christi Mater, quam fideles omnes post Deum unam venerantur ceu redemptionis
nostrae initium et fontem uberrimum, idcirco Nos, qui non sane ultimo loco esse satagimus in iis qui Matrem tantam
diligunt, nihil sane omittimus, quo eius gloria, nomen, decus quovis modo augeri possit: non enim Christi gloriae detrahit,
sed auget, qui eius Matris honorem et laudem multiplicat. Qua re, cum Venerabilis Frater Ioannes V. Oblgk, Episcopus
Varmiensis suo sui que cleri atque populi nomine iam ab hac apostolica Sede petierit ut templum beatae Mariae Virgini
Matri pacis sacrum, quod loco vulgo «Stoczek Warmiliski» cognominato surgit, in finibus Poloniae Nationis, titulo
Basilicae Minoris decoraretur; Nos, considerata eius templi tum antiquitate, tum forma pulcherrima, tum sacris quae
continet, maxime imagine beatae Dei Matris «salute populi Romani», per quam quodammodo dioecesis Varmiensis hac
cum immortalis Urbe coniungitur, bene fieri censuimus, si admotae expostulationi concederemus, idque quam libenter.
Probatis ergo iis quae Congregatio pro Cultu Divino ex facultate a Nobis concessa de re statuerit, apostolica Nostra
potestate templum B. M. V. Matris pacis, de quo supra diximus, in Basilicis Minoribus annumeramus, factis nempe
iuribus atque privilegiis, quae talibus sacris aedibus fieri solent, modo servatis iis quae iuxta decretum «De titulo
Basilicae Minoris», die VI Iunii, anno MDCCCCLXVIII, factum, servanda sunt. Contrariis minime obstantibus. Ceterum
fore speramus ut beneficium hoc libentissimo animo concessum tum fidem in Deum optimum maximum, rerum omnium
arbitrum, tum religionem in eius augustissimam Matrem in Varmiensibus filiis augeat. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub
anulo Piscatoris, die XIX mensis Mai, anno MDCCCCLXXXVII, Pontificatus Nostri nono.* AUGUSTINUS Card.
CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1987 - Libreria Editrice Vaticana
